

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0445

0443

0449

0439

431

erat nec saxosa, nec arenosa, sed fuit limosa et terra argillosa
de tenaci limo albo, figulis apto. In ista valle pessimum iter
habuimus, quia aqua terram illam inaequalem fecerat, et erat
plena fossatis non mediocribus et strictis, et sine intermissione
oportebat nos ascendere et descendere, et hoc camelorum
gressui fuit disproportionatum et asellis nostris laboriosum no-
bisque laesivum. Si autem fossae istae adhuc habuissent aquas,
sicut habuerant, nullo (**b**) modo patuisset nobis transitus per
vallem illam. Multis horis laboravimus in illa mala via, et
tolerabilius fuisse nobis continuus ascensus vel descensus,
locus saxosus vel locus arenosus, quam praedicta via. Deinde
ad finem vallis venimus in latitudinem quandam bonae viae,
et a longe de ipsa latitudine consurgebant in altum montes
proceri quidem, sed non lati ac magni, contra quos processimus
multis horis, antequam ad eos veniremus. Cum autem ad eos
venissemus, mirabamur non parum montes istos, nam de plano,
ut dixi, consurgebant, et erant albi et ita rotundi, ac si opere
tornatili essent facti, nec potest faciliter discerni, an fuerint
arte vel natura formati. Quidam putant, quod essent pyramides
sepulchrorum antiquorum regum Aegypti, qui tales moles super
sua sepulchra erigi faciebant, prout oculis nostris vidimus in
Aegypto trans Nilum juxta Thebas, ut infra patebit Fol. 79 **b**.
Accessimus autem proprius et mirabile opus almi opificis esse
deprehendimus, et nullius mortalis hominis arte compositos,
nisi vellemus ignaris vulgi poeticas fabulas hic speculari et
dicere, hos montes in hunc campum per Titanos apportatos
per Herculem eis impositos, ut montem monti superponerent
et in coelum ascenderent, quod facillime hic suaderi insipienti
posset; vel quod montes illi essent ex Atlantibus in montes
a Perseo transformatis. Inter hos montes unus cunctis prae-
minens est et valde admirabilis, quia ita formatus exsistit, ac
si sagaci ingenio esset manu factus industriosi artificis, quare
etiam singulare nomen prae aliis adeptus est, et dicitur Calpis
ab ipsis Arabibus. Credo autem nomen hoc sibi non casu ad-
venisse, vel vulgi more impositum fuisse, sed ab una colum-
narum Herculis transsumtum fuisse, quae eodem nomine Calpis
nominatur. Sunt enim duo montes, Abila scilicet et Calpis,
celsitudine se in sidera levantes, sibi oppositi, quorum primus

Ende

Anfang